DISSERTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA

DE

LEGITIMA PARENTVM PACTIS DOTALIBVS EXCLVSA

QVAM

IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI

GEORG. HENRICO AYRERO

PH. ET I. V. D.

CONSILIARIO AVL. REG. ANTECESSORE IVRIS
ORDINISQVE SVI H. T. DECANO

PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
RITE CAPESSENDIS

ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR ET RESPONDENS

SIGISMVNDVS IOHANNES VON DER HVDE

APVD SVMMVM PROVOCATIONVM TRIBVNAL CELLENSE
PROCVRATOR ORD. ET ADVOCATVS
IMMATRICVLATVS.

AD DIEM XXII. MAII ANNO CIƆIƆCCXXXXVIII.

GOTTINGAE
TYPIS ABRAM. VANDENHOECKII, ACAD. TYPOGR.

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRO

ILLVSTRISSIMO EXCELLENTISSIMOQVE

DOMINO

RVDOLPHO IOHANNI

LIB. BARONI

DE WRISBERG

DYNASTAE IN WRISBERGHOLZEN BRVNKENSEN

HOLZMINDEN WESTLEN ARMENSEVL

ET SELLENSTEDT REL.

POTENTISSIMI MAGNAE BRITANNIAE REGIS

ET DVCIS ELECTORIS BRVNSVIC. AC LVNEB.

CONSILIARIO INTIMO ET STATVS

ADMINISTRO

SVPREMI PROVOCATIONVM TRIBVNALIS

PRAESIDI

Digitized by Google

VIRIS

PERILLVSTRIBVS ATQVE GENEROSISSIMIS

DOMINO

LVDOVICO

LIB. BARONI

DE GEMMINGEN

DOMINO

HERMANNO CONRADO

DE HVGO

EIVSDEM SVMMI TRIBVNALIS

VICE PRAESIDIBVS

Digitized by Google

RELIQVISQVE

POTENTISSIMI REGIS MAGNAE

BRITANNIAE

IN ILLO

CONSILIARIIS

LONGE GRAVISSIMIS

PATRIAE

LVMINIBVS SPLENDIDISSIMIS

SANCTAEQVE IVSTITIAE

ANTISTITIBVS SVMMIS

MAECENATIBVS EVERGETIS PATRONIS ATQVE

FAVTORIBVS

SVIS INDVLGENTISSIMIS

OMNIQVE DEVOTIONIS ET OBSEQVII CVLTV

AETERNVM PROSEQVENDIS

Digitized by Google

HOC TENVE SPECIMEN

SVBMISSAE VENERATIONIS MONVMENTVM

CONSECRAT

ATQVE IISDEM

NESTOREOS ANNOS

AC PERENNEM PROSPERITATEM

RELIGIOSIS VOTIS APPRECATVR

SE VERO SVASQVE FORTVNAS

HVMILLIME COMMENDAT

TANTORVM NOMINVM

cultor deuotus

SIGISMVNDVS IOHANNES VON DER HVDE.

Digitized by Google

VIRO PRAENOBILISSIMO ET CONSVLTISSIMO

SIGISMVNDO IOHANNI VON DER HVDE

APVD SVMMVM APPELLATIONVM TRIBVNAL
QVOD CELLIS FLORET PROCVRATORI
OPTIME MERITO

S. P. D.

H. R. FLÜGGE LL. C.

Liceat mihi, Vir praenobiliſſime, haſce lineolas doctiſſimae diſſertationi Tuae ſubiungere, ut publico monimento qualecunque meae erga Te obſeruantiae teſtimonium edam. Quamuis enim Tibi deeſſe non poſſint, qui Te colant habeantque maximi; hoc tamen Tibi perſuadeas velim, me nemini horum neque in his, neque in votis pro perpetua Tua incolumitate faciendis quidquam concedere, qui multis abhinc annis laudes Tuas celebrari ſenſi, Teque omni ſtudio & affectu proſequi ab ineunte inde aetate conſueui. Non pia vota ſolum, ſed & verborum lenocinia conſignanda mihi eſſent literis, ſi ea omnia ſignificare vellem, quae mihi obſtricta Tibi

mens

Digitized by Google

mens ſuggerit, & boni omnes mecum exoptant. Libet potius de noua laudum Tuarum acceſſione gratulari, qua laboribus, vigiliis, meritis, virtutibus Tuis digna praemia, honores & priuilegia Doctoris Tibi decerni intelligo. Hiſce, Vir Praenobiliſſime, feliciſſime utere fruere & illud ſummorum virorum collegium, commune patriae praeſidium, oraculum & decus diutiſſime orna. Scribebam Gottingae d. XIX. Maii A. MDCCXLVIII.

Digitized by Google

INTROITVS.

Re ipſa experiuntur, qui forenſi verſantur in ſtrepitu quotidie, veritate omnino niti SAM. STRYKII, viri rerum forenſium olim gnariſſimi, & poſt fata quoque celeberrimi, de frequentia litium, quae ſuper legitima intentari ſolent, effatum. *Si vlla*, inquit, (*a*) *in foro frequens materia eſt, certe nulla frequentior eſt, quam illa, quae de liberorum & parentum, vt & fratrum ſororumque legitima agit. De hac enim toties renaſcuntur controuerſiae, quoties vel parentibus ſuccedunt liberi, vel, turbato mortalitatis ordine, illi filiis aut nepotibus.* Similis mihi, ante aliquot menſes & quod ſupereſt, obuenit caſus controuerſus, qui huic diſſertationi iuſſu ſuperiorum ſcribendae anſam dedit peropor-

a) In prooemio diſſertationis *de caſibus circa legitimam controuerſis.*

portunam pariter, atque obſequioſiſſime arripiendam. Ruſticus quidam cum genero ſuo pacta dotalia confecerat, & illi, praeter apparatum & inſtructum nuptiarum, quingentos thaleros in dotem dederat, gener ſponſae ſuae promiſerat diuerſorium ſuum cum omnibus iuribus & pertinentiis, addita hac clauſula: *Todes Faelle betreffend, iſt verabredet, daſs nach geſchehener prieſterlichen* Copulation *und beſchrittenem Ehebette unter Braut und Braeutigam einer des andern voelliger und unwiederruflicher Erbe ſeyn ſolle. Im uebrigen* reſeruir*en ſich der Braut Eltern ueber ihr uebriges Vermoegen frey zu* diſponir*en*. Pacta haec dotalia coram praefectura *Meinerſen*, praeſentibus ſocero & genero, declarato vtrinque conſenſu, ſunt confirmata & matrimonium deinde per copulam ſacerdotalem & conſcenſionem thalami conſummatum. Anno praeterlapſo vxor praematura morte absque prole vitae eripitur. Socer generum in ius vocat, de dote aeque, ac de apparatu & inſtructu nuptiarum, legitimam repetens. Gener, cui patrocinor, exceptione pactorum dotalium, in vim contractus initorum & iudiciali confirmatione roboratorum, ſe tuetur. In cauſa ius poſitum & vter noſtrum iuſtioribus depugnauerit armis, adhuc ſub iudice lis eſt. Placet itaque impraeſentiarum loco diſſer-

Digitized by Google

diſſertationis inauguralis argumenta in vtramque partem adducta hic proponere eaque, veluti in ponderibus conſtituta, aequa examinanda lance exhibere.

§. I.

Id autem dum agere aggredior, prolixa nimium & operoſa terminorum indagatione extra oleas vagari meum non eſt propoſitum, ſiquidem vocum, quibus hic vtor, rationes, origines & deriuationes nemini, linquam Latii intelligenti, ignotae eſſe queunt. Sed rebus potius, quam verbis, intentus, ne bonae methodi regulas neglexiſſe videar, vtque eo melius intelligatur id, de quo diſputatur, & quod pro cathedra non minus, quam in foro, defendere, citra omnem iactantiam animum induxi, definitiones legitimae, dotis, & pactorum dotalium praemitto.

§. II.

Legitima eſt portio hereditatis, legibus definita, & liberis, parentibus certoque caſu etiam fratribus atque ſororibus a teſtatore ſine onere relinquenda. An & quatenus illa iure naturali debeatur, aut iure ciuili inducta & ad certam quantitatem reducta ſit, quo modo item diuerſis caſibus, tum perſonarum, tum bonorum ratione, compu-

Digitized by Google

tetur, & qua actione petatur, poſt tot ſcriptores, qui mihi hic otium fecerunt, & has quaeſtiones vel in ſyſtematibus & compendiis iuris, vel peculiaribus diſſertationibus, excuſſerunt, non disquiram, hoc pro certo ſtatuens, legitimam, adſcendentium inprimis, ſi ſtatuto, *(a)* certe multo magis pacto, mutari, minui, immo tolli poſſe. *(b)*

§. III.

Dos, prouti hodie (c) apud nos ſumitur, eſt pecunia vel certa res (d), ab vxore, vel alio quodam

a) Id pluribus oſtenſum fuit in Diſſ. ſub Ill. RECHENBERGII praeſidio Lipſ. 1733. habita, *de eo, quod legitima ſit iuris ciu. & ſtatuto plane tolli poſſit.*

b) Vid. GAIL. L. II. Obſ. 122. STRYK. de *ſucceſſ. ab inteſt.* Diſſ. I. cap. I. n. 13. Illuſtriſſ. SAM. *de* COCCEII in *Iure controu.* Tit. de *inoff. teſtam.* Qu. 26. & Reſponſum Giſſenſe apud B. REINHARTHVM in *obſeruat.* ad CHRISTINAEVM, Vol. VI. Obſ. XX. pag. 52. Add. IOH. SIMON FRANC de LICHTENSTEIN in Diſſ. inaug. Giſſae 1704. hab. de *Legitima parentum* 9. V.

c) Olim enim apud *Germanos dotem non vxorem marito, ſed vxori maritum attuliſſe*, TACITVS auctor eſt de *Mor. Germ.* cap. 18. more a Romanorum inſtitutis plane diuerſo, quippe apud quos vxorem marito dotem attuliſſe non ſolum ex titulis Pandectarum *de iure dotium*, ſed aliunde quoque ſatis notum eſt. Exortam hinc confuſionem iuris Rom. & Germ. jam obſeruarunt alii. Vid. a LVDEWIG in Diſſ. *de different. iur. Rom. & Germ. in dote & donat. propter nupt.* & in diſſ. *de different. Iur. R. & G. in dote mariti*, HEINECCIVS *Elem. Iur. Germ.* Lib. I. Tit. XI. §. 242. ſeqq. Add. CHRISTIANI GODOFR. HOFFMANNI diſſ. *de different. iur. R. & G. in doctrina de donat. propter nupt.*

d) Ex tribus igitur dotis ſignificatibus, quibus, accurate adnotante

dam eius nomine in maritum, ad onera matrimonii eo melius commodiusque ferenda, translata. Patris potiſſimum eſſe officium dotandi filiam, expediti iuris eſt, quum alii vel in ſubſidium tantummodo dotem conſtituere teneantur, vel ſponte ac nulla iuris neceſſitate cogente eam conſtituant, vnde diuiſionem dotis in profectitiam & adventitiam enatam eſſe conſtat.

§. IV.

Pacta dotalia, ſicuti variis nominibus efferri ſolent, & modo nuptialia & matrimonialia, modo antenuptialia, vulgo *Ehe-Pacten, Eheſtifftungen*; *Eheberedungen, Ehezaerter, Heyraths-Abſchied*, vocantur; ita varie a doctoribus in compendiis & commentariis ſuis vel definiuntur, vel deſcribuntur. SCHOEPFFERVS (*e*) ea definit: *conuentiones de dote & donatione propter nuptias lucranda.* Secundum LAVTERBACHIVM (*f*) *ſunt pacta, quae doti legem & formam dant.* Hae

tante IOH. HARTMVTH RAYSIO in diſſ. de *Repetitione dotis & illator.* in Academia Giſſenſi 1741. habita, §. III. dos modo conuentionem de dote, modo ius marito in rebus dotalibus competens, modo ipſas res dotales denotat, vltimus huius eſt loci.

e) in *Synopſi iuris priuati* Lib. XXIII. Tit. IV. n. 2.

f) in *Collegio theoretico practico* Tit. de *pactis dotal.* §. 17.

Digitized by Google

Hae definitiones nimis anguſtos pactis dotalibus ponunt cancellos, cum tantum de dote & donatione propter nuptias agant, de ſucceſſione coniugum mutua autem non magis, quam de aliis negotiis, quae iisdem ſaepe comprehenduntur, mentionem faciant. Quare forſan rectius dixeris *conuentiones, quibus iura coniugum, qualia ſoluto pariter, ac durante matrimonio, eſſe debeant, determinantur ab iis, quorum intereſt.* Sed non mirum eſt, tam arctis limitibus circumſcribi pacta dotalia, illisque ſucceſſionem coniugum exulare, ſi ex fontibus iuris Rom. peregrinis potius, quam ex principiis iuris Germanici domeſticis, repetantur & confuſis vtriusque rationibus plane diuerſis perperam explicentur. Apud Romanos enim pacta ſucceſſoria in vniuerſum & ſic etiam coniugum exoſa, immo prohibita fuiſſe, tam ex veteri Pandectarum, quam ex noviori Codicis iure dilucide adparet. (g)

§. V.

g) vid. l. 3. §. 2. ff. *pro ſocio* l. 61. de V. O. l. 15. & 19. C. *de Pactis* l. 5. C. *de pactis conuentis tam ſuper dote quam donat.* l. 4. C. de *Inutil. Stipulat.* conf. CARPZ. P. II. C. 35. Def. 7. GAIL. L. II. obſ. 125. HERM. VVLTEIVS Vol. III. *Conſil. Marp.* 34. n. 135. MAESTERT. de *Iuſtit. Legum Rom.* Dub. 4. STRYK. de *Succeſſ. ab inteſt.* Diſſ. VIII. cap. 12. §. 22. ſeqq.

Digitized by Google

§. V.

Odium & prohibitio horum pactorum ex quatuor (*h*) praecipue cauſſis ſtatui Reipublicae Romanae propriis promanarunt,

a) Quod continere votum captandae mortis adeoque contra bonos mores eſſe crederentur. Hinc diſerte IVSTINIANVS: (*i*) *Sed nobis omnes eiusmodi pactiones odioſae eſſe videntur & plenae triſtiſſimi & periculoſiſſimi euentus.*

b) Quod liberam teſtandi facultatem adimerent.

c) Quod iure Romano hereditates lege tantum & teſtamento deferrentur.

d) Quod iura publica iisque innitens ſucceſſio pactis priuatorum non poſſet immutari. (*k*)

§. VI.

Hae vero rationes quum apud nos ceſſent, neque moribus Germanorum conueniant, conſequens eſt, vt etiam ipſa legum Romanarum diſpoſitio ceſſet. Ad rationem primam quod attinet, illa fidei atque integritatis laudi, qua ſemper conſpicui fuerunt maiores

h) Plures adduxit IOH. TORRE de *pact. fut. ſucceſſ.* L. I. n. 18. ſeqq. & cap. III. n. 1. ſeqq. ſed minus adaequatas, uti probe obſeruauit Celeb. BOEHMER in Diſſ. de *ſucceſſ. hereditaria coniugum ex pactis dotal.* cap. I. §. IV. extr.

i) Cit. l. fin. C. de *pactis.*

k) per. l. 38. de *pact.*

maiores noſtri, penitus repugnat, nec adeo facile auditum exemplum inſidiarum, quas frequentes apud Romanos captatores et heredipetae (*l*) iis, quorum inhiabant bonis, ſtruere ſolebant. (*m*) Altera ratio plane peculiaris & ex Romanorum ſubtilitatibus teſtamentariis explicanda eſt. Neque tertia Germanorum moribus congruit, quippe apud quos antiquis temporibus teſtamentorum vſum penitus incognitum fuiſſe, nemo, niſi in rebus patriis plane hoſpes, poteſt ignorare. (*n*) Quarta denique vel inde ſimul corruit, quod praeter ſucceſſionem ab inteſtato nullus alius iura defuncti in heredem transferendi modus ſuppetebat, adeoque ipſis iuribus Germaniae publicis pacta coniugum ſucceſſoria probata ſemper fuerunt, prouti Ripuariorum, Baiuariorum

l) Eorum in fraudes & malitias diligentiſſime inquiſiuit THOMASIVS in diſſ. de *Iure injuſto heredipetarum* & in Diſſ. de *Captatoriis inſtitutionibus*, nec non CORNELIVS VAN BYNKERSHOEK in opuſculo elegantiſſimo de *captatoriis inſtitutionibus*, cuius tamen in capite III. ex ipſis legibus Rom. probat, mutuis affectionibus prouocata judicia, vti PAPINIANVS l. 70. de *hered. inſtit.* vocat, neutiquam improbata adeoque ἀλληλοκληρονομίαν, ſiue mutuam inſtitutionem, ex reciproca amicitia gratoque vtriusque partis animo profectam, nec inter virum & vxorem, nec inter alios quoslibet prohibitam fuiſſe, quod ante ipſum quoque CVIACIVS L. XVI. Obſ. 39. & FRANCISC. CONNANVS *Comment. jur. ciu.* L. X. c. 6. n. 6. ſtatuerunt, mutuas conjugum inſtitutiones ex numero inſtitutionum captatoriarum merito expungentes.

m) Vid. Ill. LEYSERVS Medit. ad ff. Spec. XLIII. medit. 3.

n) Vid. TACITVS de *moribus Germ.* c. 20.

Digitized by Google

rum aliarumque gentium leges paſſim obuiae formulaeque libellorum dotis, traditionum, donationum, conuentionumque ſolemnes, a MARCVLPHO monacho collectae, apud LINDENBROGIVM, STEPHANVM BALVZIVM aliosque antiquitatum Germ. ſcriptores ſatis oſtendunt. Nihil quoque, deficiente hic lege prohibitiua, impedire, quo minus quis poſt introductum teſtamentorum vſum libertatem teſtandi per indirectum & ratione obiecti ſibi adimere queat, iam dudum alii obſeruarunt. (*o*) Tantum itaque abeſt, vt pacta, quibus hereditas coniugum (*p*) futura in certo collocatur, Germanorum inſtitutis aduerſentur, vt potius cum communione bonorum coniugali, quae olim apud illos viguit & hodienum paſſim vſitata eſt, (*q*) optime poſſint conciliari.

§. VII.

Hinc etiam hodie vniuerſali Germaniae conſuetudine, immo quoque extra illius fines per totam fere

o) Vid. STRVV. *Decis. Sabbath.* C. 35. d. 18. LYNCKERVS Reſolut. 504. STRYK. de *Succeſſ. ab inteſt.* Diſſ. VIII. c. 10. §. 31. & c. 13 §. 9. WERNHER. P. I. obſ. 160. & P. VII. obſ. 145. B. REINHARTH. ad CHRISTIN. Vol. II. obſ. 28. p. 45.

p) *De aequitate ſucceſſionis coniugum* peculiari diſſert. egit KRESSIVS Helmſt. 1735.

q) conf. Ill. praeſidis diſſ. de *iure connubiorum apud veteres Germ.* Sect. II. §. XIV. ſeq. ibique laudatos.

Digitized by Google

ſere Europam, (*r*) pacta ſucceſſoria tum generatim, tum ſpeciatim dotalia de coniugis ſuperſtitis ſucceſſione in defuncti bona vel vniuerſa, vel pro parte, valida pronuntiant & inſtar legis ſeruanda eſſe, merito contendunt Dd. qui non omnia ad iuris Rom. decempedam in Iurisprudentia noſtra metiuntur, ſed potiſſimum etiam ad leges patrias & inſtituta domeſtica oculos animumque intendunt. (*s*) *Qui contra ſcholaſtice diſputat, illi ignoſcendum & condolendum eſſe, quod quotidiana non didicerit & ius, in quo verſamur, ignoret,* haud abſone ait COTHMANNVS. (*t*)

§. IIX.

Quum igitur noſtris moribus omninò licita ſint pacta ſucceſſoria, nullum prorſus eſt dubium, quin pacta quoque dotalia non ſolum ſuper dote & donatione

r) Vid. HEINECCIVS in *Elem. iur. Germ.* Lib. II. Tit. VI. §. CLXXI. not. * ibique citati. Add. GROENEWEGEN de *Legibus abrogatis* ad l. 15. C. *de pactis*, vbi magnum quoque ſcriptorum huc ſpectantium numerum deprehendes.

s) vid. CARPZ. *Iprud. For.* P. II. Conſt. 43. Def. 2. ſeqq. STRVV. Ex. 30. th. 19. BERGER *Oec. iur.* L. II. Tit. IV. §. 48. n. 1. MEVIVS ad *ius Lubecenſe* P. II. Tit. I. STRYK. *in vſ. mod.* Tit. *de pact. dotal.* §. 3. & 10. LAVTERBACH. eod. §. 10. SCHILT. Ex. 8. §. 38. ſeqq. ANDR. KOHL de *pactis dotal.* P. II. n. 70. Perill. BOEHMER. T. II. P. II. Rſp. 887. ſeqq. & in Diſſ. de *ſucceſſ. hered. coni. ex pact. dot.* per totum

t) Vol. II. Conſil. 78. n. 176.

Digitized by Google

tione propter nuptias, nec non paraphernis, ſed etiam de mutua coniugum ſucceſſione poſſint iniri; ſicuti etiam plerumque ita condi aliaque plura iisdem determinari ſolent, a coniugibus vel in matrimonio, vel eo per mortem alterius coniugis finito, a ſuperſtite obſeruanda.

§. IX.

Qui dotem dat, quaelibet pacta adiicere, vel legem, quam velit, doti dicere poteſt, ſiue pater ſit, ſiue extraneus, modo id fiat in continenti. (*u*) Hinc talia pacta, doti ſtatim adiecta, etiam ſecundum ius Romanum valida fuiſſe, nouimus. Ita diſerte PAVLVS ICtus (*v*) ait: *ſi pater dotem dederit & pactus ſit, vt, mortua in matrimonio filia, dos apud virum remaneret, puto pactum ſeruandum, etiamſi liberi non interueniant.* Eandem in rem Impp. DIOCLET. & MAXIM. reſcripſerunt: (*x*) *Si conuenit, vt in matrimonio vxore defuncta, dos penes maritum remaneret: profectitiae dotis repetitionem huiusmodi pactum inhibuiſſe, explorati iuris eſt, cum deteriorem cauſam dotis, in quem caſum ſoli patri repetitio*

u) perl. 7. ff. *de pactis dotalibus.*
v) In l. 12. ff. de *pactis dotalibus.*
x) in l.6. C.de *pactis conuentis tam ſuper dote quam donatione propt. nupt.*

tio competit, pacto poſſe fieri, auctoritate iuris ſaepiſſime ſit reſponſum. Atque ſecundum hoc pronuntiari hodienum in foro, Vir Ill. FRID. ES. PVFENDORFFIVS, ex ipſis rerum argumentis commonſtrat. (*y*)

§. X.

Vtrum vero parentibus ex eiusmodi pactis dotalibus competat legitima, nec ne? de eo in titulis Pandectarum & Codicis, nec vola, nec veſtigium extat. Neque id mirum eſt, quoniam ob adductas ſupra rationes in iure Romano hac de re nihil potuit determinari.

§. XI.

Ex iure Germanico igitur demonſtrandum erit, ex pactis dotalibus, in vim contractus initis, vel, vt clarius mentem meam explicem, ex pactis dotalibus, legitimam non expreſſe reſeruantibus, parentes illam nec de dote, nec de apparatu & inſtructu nuptiarum petere poſſe. Contrariae partis agumenta, praeter iam remotam ſententiam, pacta ſucceſſoria eſſe de iure prohibitorum, huc fere redeunt:

1) Legitimam eſſe fauorabilem adeoque ei expreſſe renunciandum.

2) Se-

y) P. I. obſ. LXIX. §. 12.

Digitized by Google

2) Secundum ius Canonicum (z) renunciationem hereditatis requiri iuratam.

3) Apparatum & inſtructum nuptiarum ſub dote non comprehendi, ſed bonis paraphernalibus annumerandum eſſe.

4) In praeſenti caſu, quem ſub initium commemoraui, matrem tabulis nuptialibus non ſubſcripſiſſe, nec confirmationi interfuiſſe.

5) Pacta dotalia pro mixtis & in vim vltimae voluntatis conditis eſſe habenda, quia vox *Erben* illis fuerit inſerta. Quae ſingula breuiter expendam.

§. XII.

Ad argumentum primum quod ſpectat, equidem non nego, legitimam tam liberorum, quam, ſi turbato mortalitatis ordine hi prius decedant, parentum, eſſe fauorabilem; ſed nego & pernego, dotem a ſocero promiſſam genero, eſſe hereditatem. Hinc ex ejusmodi pactis dotalibus neque querela inofficioſi naſci poteſt. Pater genero ſuo dotem cum apparatu & inſtructu nuptiarum inter viuos quaſi donaverat. Nullo igitur iuris, nec Romani, nec Germanici fundamento petit legitimam, cum & ſecundum

z) per Cap. 2. de *Pactis in 6to.*

dum illud eiusmodi dotatio pro donatione inter vivos reputetur (*a*). Repugnat, vti recte calculos ſubducit ABRAHAM a WESEL, (*b*) *juris ratio, quae legitimam definit portionem hereditatis, aut partis hereditariae ab inteſtato contingentis. Itaque nulla debetur legitima ei, cui ſuccedendi jus ab inteſtato nullum callum ſupereſt*; & paulo poſt: *Ceſſat enim legitimae petitio, ubi querelae inofficioſi locus nullus eſt.*

§. XIII.

Ex eodem principio, quod nulla ex pactis dotalibus, in vim contractus initis, vxore absque prole mortua, relinquatur hereditas, & ſucceſſio ab inteſtato locum non inueniat, altera remouetur obiectio, ſecundum ius canonicum renunciationem hereditatis & legitimae iuratam adeſſe debere. Nam cui nulla hereditas & legitima competit, ab illo exigere renunciationem ſuperfluum foret, neque adeo hic opus erit controuerſiam attingere, anne noſtris moribus, praeſertim in maſculis, iurata hereditatis renunciatio neceſſaria ſit?

§. XIV.

a) per l. 26. ff. *de Donat. inter virum & uxorem* l. 3. C. eod. Tit.

b) in *Tract. de iure connubiorum* Tract. II. §. 30. cap. V.

Digitized by Google

§. XIV.

Aſt maioris momenti dubium tertium eſſe vidtur, an nomine dotis quoque apparatus & inſtructus nuptiarum veniat? Neminem, niſi iurium plane imperitum, fugit, vxorum bona in dotalia, paraphernalia & receptitia, diſtingui, ſingulisque propria competere iura, quae hic ſigillatim excutere mearum non eſt partium. Haec vnica probatio mihi incumbit, apparatum & inſtructum nuptiarum, niſi aliter fuerit conuentum, cum dote, quoad petitionem legitimae, eodem ambulare paſſu. Neque id difficile erit probatu.

§. XV.

Apparatus & inſtructus nuptiarum, *die Ausſteuer*, mihi denotat illa mobilia, quae marito, praeter dotem, ſunt promiſſa, & ante, vel ſtatim poſt conſummationem matrimonii, tradita. In ore ruſticorum eſt vulgaris adpellatio *Kiſten und Kiſten-Pfand.* Datur ad ſuſtinenda matrimonii, onera & in communem rei familiaris vſum. Conſequens igitur eſt, vt etiam dotis nomine comprehendatur, praeſertim cum ſtatim ab initio matrimonii vxor apparatum & inſtructum ſecum ſoleat adferre.

§. XVI.

Digitized by Google

§. XVI.

Fauet noſtrae ſententiae Illuſtr. LEYSERVS (*c*), qui, poſthabito doctorum aliorum miro diſſenſu, cum SCHILTERO (*d*) diſtinguit *inter bona, quae ſtatim tempore matrimonii contracti, & ea, quae conſtante iamdum conjugio, ab uxore marito inferuntur. Alterum*, deinde pergit, *bonorum genus, quod nimirum uxor ipſa vel alius eius nomine, ut parentes, aut extraneus, marito nondum contractis nuptiis, vel ſtatim poſt earum conſummationem, inferunt, omnino dotalium loco habetur.* Quam ſententiam non ſolum conſenſu Iurisconſultorum tum antiquiſſimorum, tum recentiorum, ſed etiam ipſis legibus ciuilibus, quippe quae finem dotis marito illatae fere vnice in matrimonii oneribus ſuſtinendis ponunt, confirmat. Ex hac ratione facile poteſt diiudicari, cur apparatus & inſtructus nuptiarum, moto ſuper facultatibus mariti concurſu, eodem cum bonis dotalibus jure fruatur (*e*).

§. XVII.

c) in *Medit.* ad ff. ſpec. CCCII. Med. IV. & V. II. §. LXIII. & conf. quae de hac quaeſtione Ill. GRVPEN in Tr. de *Vxore Theotiſca* cap. III. doctiſſime diſſeruit.

d) *Exercit.* 36. th. 80.

e) Vid. CELEB. ESTOR in diſſ. de *apparatu & inſtructu nuptiarum* Cap.

§. XVII.

Apprime cum hac doctrina conueniunt conſtitutiones prouinciales Luneburgicae, quae apparatum & inſtructum nuptiarum, *die Ausſteuer*, doti aequiparant, ac vtrumque, & dotem & adparatum muliebrem, hoc nomine vernaculo comprehendunt. Ita enim expreſſe ordinatione Polit. Luneb. Cap. 23. diſpoſitum eſt: Die Toechter und Schweſtern ſollen aus den Gütern über deren Vermögen nicht *ausgeſteuret* werden. & ibid. §. 2. Wenn aber Bürger oder Bauren ihre Töchter oder Schweſtern *ausſteuren*, ſo ſoll der *Brautſchatz* auf vorhergehende gnugſame Erkundigung &c. der Beamten dem Amts-Gerichts-Buche einuerleibet werden, cuius diſpoſitionis genuinum ſenſum latius eruit multoque eruditionis apparatu illuſtrauit Illuſtr. & in rebus forenſibus verſatiſſimus PVFENDORFFIVS (*f*), ad quem ablego cunctos, qui ſolidam huius materiae diſcuſſionem quaerunt. Vberius enim totam hanc controuerſiam hoc loco examinare eo facilius ſuperſedere poſſumus, quo clarius pacta dotalia, quae hic in cenſum veniunt, in verbis ſupra allatis, mutuam (*g*) ſucceſſionem in diſtincte & in vniuerſa bona prius defuncti coniugi ſuperſtiti irreuocabiliter tribuunt. §. XVIII.

f) P. I. obſ. CCVI.

g) pag. 2.

§. XVIII.

Non magis ferit argumentum, quarto loco ſupra propoſitum. Nam eaedem rationes, quae patrem a petitione legitimae repellunt, & matri obſtant, quae praeterea genero neque dotem dederat, neque cum illo vel filia contraxerat; ſed pater hanc dotaverat & doti eam legem dixerat, vt in caſum mortis filiae apud maritum deberet remanere. Ad validitatem vero huius pacti & conditionis, doti adiectae, matris nec conſenſus, nec ſubſcriptio requirebatur. Et cum, in caſu ſubſtrato, nullam adeſſe hereditatem, aut ſucceſſionem ab inteſtato, ſupra iam probatum dederim, non video, contra quem ad conſequendam legitimam mater agere poſſit? An contra inteſtati ſucceſſorem? quaerere hic cum ABRAHAMO a WESEL (*b*) fas ſit. *At hoc inauditum eſt, cum non aliis petendae legitimae ius detur, quam iis, qui ab inteſtato legitimi forent ſucceſſores.*

§. XIX.

Vltima denique obiectio tanto minus nos morari debet, quanto magis exploratum eſt, totam illam diſtinctionem pactorum dotalium in ſimplicia & mixta, quorum illa per modum contractus, haec per modum vltimae voluntatis fieri, vulgo docent, apud Germanos plane incognitam, vnice ex confuſione iuris

b) in Tract. *Connub. bonor. ſociet. & pactis dotal.* Tract. II. c. V. §. 30.

Digitized by Google

iuris Romani & Germanici originem ſuam traxiſſe. (*i*) Hinc PHIL. IAC. GRAES, (*k*) merito hanc diſtinctionem plane reiicit & purum pragmaticorum eſſe figmentum, ſtrenue & legaliter contendit. *Pacta dotalia mixta*, inquit, *prout ab auctoribus traduntur, negotium conſtituunt ex vltimis voluntatibus & actu inter viuos mixtum, quatenus enim vera ſubeſt conuentio* (i. e. *conſenſus, vtrinque obligatorie coniunctus*) *ſine qua haec pacta nec poſſunt iniri, nec ſubſiſtere, eatenus habes pactum inter viuos, quatenus vero illis ineſt reuocabilitas, eatenus in vno eodemque obiecto genuinum vides vltimae voluntatis characterem, id quod auctores ipſi, dum ea appellant mixta, haud innuunt obſcure. Quodſi nunc mixtum hoc negotium fundamento hoc debeat niti iuris Germanic, videndum, an primo vltimae voluntates aeque, vt pacta, legibus patriis fuerint cognitae, ſecundo vero, ſi iſtae vbi ſuum vindicant locum, vtrum analogia huius iuris mixturae eiusmodi non aduerſetur, quin potius actus*

i) Vid. Cel. BOEHMER in Diſſ. *de ſucceſſ. heredit. coniug. ex pactis dot.* cap. II. §. XI. Ill. PVFENDORFF. l. c. obſ. CCLX. add. Cel. ENGAVII *Elem. iur. Germ.* Lib. I. Tit. XIII. §. 343.

k) in Diſſ. *de mixtura incongrua iuris Romani & Germanici in practicorum diſtinctione pactorum dotalium in ſimplicia & mixta* §. XV.

actus inter viuos & vltimae voluntatis recte coniungi & in vno obiecto recte ſimul poſſunt ſubſiſtere. Vno enim, vel altero ceſſante, ceſſat notorie aſſiſtentia legum Teutonicarum.

§. XX.

Licet autem tyrannidi praxeos & opinionibus celeberrimorum Doctorum, diſtinctionem hanc defendentium, cedendum ſit; attamen nemo inficias ibit, in dubio pacta dotalia potius pro ſimplicibus, quam mixtis, eſſe reputanda, & inſertas loquendi formulas, *Erben*, *Erben ſeyn*, *erblich*, non ſtatim illis naturam vltimae voluntatis induere, hancque interpretationem communi pactorum naturae & ſimplicitati morum Germanorum magis conuenire. Teſtem hic iterum locupletiſſimum aduoco celeb. ICtum, AVG. LEYSERVM (*l*), qui diſtinctionem pactorum dotalium in ſimplicia & mixta quidem admittit, ſed ex ſolidiſſimis rationibus illa in dubio per modum contractus inita cenſenda eſſe, ſimul ſtatuit, hancque ſententiam adiecto praeiudicio illuſtrat, in quo vox *Erben* in caſu fere ſimili ita explicatur, vt irreuocabili dotalium pactorum obligationi nihil deroget, ſed haec nihilominus firma & conſtans maneat.

§. XXI.

l) Medit. adff. ſp. 308. m. 4. ſeq.

Digitized by Google

§. XXI.

Et quamuis pacta nuptialia, de quibus mihi ſermo eſt, pro mixtis eſſent habenda, illisque effectus vltimae voluntatis adſcribendus, ac proinde vxori, vel marito poteſtas ea reuocandi denegari non poſſet; exinde tamen nulla idonea ratione concludi poterit, eandem poteſtatem parentibus pari modo competere. Vxor per mortem pacta dotalia & in iis factam donationem firmauerat, reddideratque irreuocabilem (*m*). De patris & matris morte eorumque ſucceſſione in pactis dotalibus nihil erat dictum, nec horum intuitu pacta dotalia vltimam conſtituebant voluntatem, adeoque nullo colore ab iis reuocari poſſunt (*n*); quum voluntate & conſenſu ſuo in conuentam deſponſatorum ſucceſſionem reciprocam ſeſe omni vlteriori iure in ea, quae dotis titulo in ſponſum translata erant, ſponte abdicauerint, nihilque ſibi, quam facultatem de reliquis ſuis bonis teſtandi, reſeruarint. Haec autem illis omnino ſalua manet. Ex hac ipſa quoque reſeruatione expreſſa ſatis luculenter adparet, non ſolum honoris cauſſa & inſtar teſtium huic pactioni interfuiſſe parentes, ſed, tanquam partes contrahentes, ei praeci-

m) per l. 32. ff. *de mortis cauſa donat.*

n) conf. l. 3. in f. C. de *Donat. inter virum & vxor.*

praecipuam vim ac robur tribuiſſe. Quod procul dubio, ſicuti recte iterum ratiocinatur ABRAHAMVS A WESEL (*o*), factum eſt *renunciandi circa legitimam iuris ſui gratia, & quo ſponſus ſponſaque tanto ſecuriores eſſe poſſint, nihil de bonis omnibus, praeiudicio pacti conuenti, poſt mortem praedefuncti diminutum iri.* Quo caſu legitimae petitionem ceſſare, manifeſtum eſt (*p*). Secus ſe rem habere, vbi ſola liberorum voluntate pacta dotalia nituntur, parentesque tantummodo, tanquam teſtes, adfuerunt illaque ſignarunt, *nulla alia concurrente renunciandae legitimae coniectura*, facile CHRISTENIO(*q*), quem WESELIVS, vtrumque caſum probe diſtinguens, hanc in rem laudat, poſſumus largiri. Tale vero quid hic factum eſſe, vel ideo dici nequit, quia pater filiam dotauit, non ipſa de ſuo dotem dedit, quo demum caſu teſtandae erga parentes reuerentiae cauſſa illos pactis nuptialibus adhibuiſſe cenſetur (*r*). Ad argumentum contrarium, quod CARPZOVIVS (*ſ*) a ſtatuto, generaliter diſponente, ad pacta dotalia, indefinite concepta, duxit, nec illo, nec his parentum legitimam ex-

o) l. c. n. 38.

p) arg. l. 26. §. 1. de *pignor. & hypoth.*

q) De *cauſſ. matrimonial.* Diſſ. V. qu. 27.

r) Conf. CHRISTIANVS RODENBVRGIVS in Tract. *de iure coniugum* Tit. III. cap. IV. §. 12.

ſ) P. III. C. 12. def. 3. ſeqq.

Digitized by Google

excludi, exiſtimans, iam ſolidiſſime reſpondit ſaepe laudatus BOEHMERVS(*t*), cuius verba hic noſtra facimus. *Enim vero*, inquit, *1) iura Romana (quorum inuentum ſine dubio eſt legitima) ad ſcita iuris Germanici hic iterum inconcinne applicantur! 2) a caſu ſtatuti ad caſum pacti argumentum trahi non poteſt; parentes enim, dum vel ipſimet pacta haec liberis condunt, vel ſaltim iis ſubſcribunt, (quos caſus Carpzouius expreſſe cit. loco ſupponit) per talia facta contrarium ſatis innuunt & iuri ſuo renunciant. Sciunt enim, illud his pactis agi, vt omnia praedefuncti bona, qualiacunque fuerint, ſine vlla reſeruatione, ad ſuperſtitem perueniant coniugem, in quod cum conſentiunt, nihilque ex iis reſeruarunt ſibi, beneficio iuris Romani frui noluerunt, & ſic iis in poſterum obſtat regula iuris: ad iura renunciata non datur regreſſus. Denique, dum conſentiant parentes in mutuam ſucceſſionem vniuerſalem futurorum coniugum, eo modo conſenſum ei dediſſe videntur, qui iuri patrio conformis eſt, quo talis legitima ignorata fuit.* Vindicat ergo tritiſſima iuris regula, ſecundum quam prouiſio hominis tollit prouiſionem legis, hic quoque ſibi locum, & ſicuti maritus ea portione contentus eſſe debet, quae ipſi in caſum praemortuae vxoris per pacta dotalia fuit aſſignata, nec ipſi deinde regreſſus ad inteſtatam bonorum ſucceſſionem patet (*u*), adeo quidem, vt pactitia ſucceſſio ſtatutariae derogare cenſeatur (*v*); ita, quod parentes iuris in generum pactis eiusmodi ſtatuerunt, eodem vt ipſi quoque vtantur, aequitas poſtulat. §. XXII.

t) Diſſ. cit. cap. II. §. 10.

u) Vid. IOH. CHRISTIANI HEDLERI Tr. de *iure generi* §. 30. ibique citati.

v) Diſſentit quidem GASSERVS in

§. XXII.

De obſeruantia terrarum Luneburgenſium teſtatur Ill. PVFENDORFFIVS (*x*), cuius teſtimonium coronidis loco inſtar omnium hic ſubiungam. *Plane,* ait, *in his terris Luneburgicis reliquias veteris iuris adhuc ſeruari, putarem, vt, quodcunque in pactis dotalibus de ſucceſſione futura diſpoſitum ſit, id omne per modum contractus valeat, adeo, vt teſtium praeſentia nulla neceſſaria ſit. Nam ita ordin. Polit. Luneburgenſ. Cap. II. §. 1. declarat, qua cautum eſt, vt contractus omnes & pacta dotalia probationis gratia libris iudicialibus inſerantur, & nominatim exprimatur, quid in caſu mortis obtinere debeat. Atque inter ruricolas hodienum tam in Ducatu Luneburgico, quam Calenbergico, pacta dotalia omnia per modum contractus fiunt & a magiſtratu confirmantur, quibus pactiones de futura ſucceſſione continentur, quod in minoribus quoque oppidis obſeruari ſolet. Quamobrem in terris Brunſuicenſibus & Luneburgenſibus dicendum videtur, pacta ſimplicia dotalia vtique in ſucceſſionibus etiam conſiſtere.* Neque vero nobis aduerſantur, quae de vſu contrario intuitu interpretationis ſtatuti Cellenſis, ſecundum quam coniugibus quidem ſucceſſio reciproca tribuitur, ſed legitima parentum tamen non excluditur, Illuſtris BILDERBECKIVS (*y*) teſtatur. A iure ſtatutario enim, etſi plerumque ex iure communi ita ſuppleri atque explicari ſoleat, (*z*) vt ſalua parentibus maneat legitima, quam varia quoque ſtatuta illis expreſſe reſeruant, ad pacta dotalia, tanquam a diuerſis ad diuerſa, non valere argumentationem, iam antea fuit obſeruatum.

in diſſ. de *Lucro dotis in pactis dotalibus conceſſo portionem ſtatutariam non excludente.* Sed vide LEYSERVM Sp. CCCVII. m. 5. & conſ. IOH. SIEGENER in diſſ. inaug. Giſſae 1743. hab. de *Teſtatorum poteſtate in lucra coniugalia pactitia ac ſtatutaria* C. III. §. 30.

x) Obſ. CCIX. §. IV.

y) In notis bonae frugis pleniſſimis ad Ius ciuit. Cellenſ. p. 45. & 81.

z) Vide, quae contra hanc explicationem analogiae iuris Germ. plane aduerſam doctiſſime monuit Cel. KNORRIVS in programmate *de vſu paroemiae iuris Germ. der lezte thut die Thuer zu* §. VIII. extr.

FINIS

Digitized by Google

ORDINIS IVRIDICI DECANVS

GEORG. HENR. AYRER D.

POTENTISSIMI M. BRITANNIAE REGIS ET DVCIS ELECTORIS
BRVNSVICENSIS AC LVNEB.
AB AVLAE CONSILIIS

ET

IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA
ANTECESSOR

AD

VIRI PRAENOBILISSIMI AC IVRIS PERITISSIMI

SIGISMVNDI IOHANNIS VON DER HVDE

APVD

SVPREMVM PROVOCATIONVM TRIBVNAL CELLENSE
PROCVRATORIS ORDINARII
ET ADVOCATI IMMATRICVLATI

LECTIONEM CVRSORIAM AC DISSERTATIONEM
INAVGVRALEM

INVITAT SIMVLQVE

DE

PERDVELLIONE SEDITIOSORVM

QVAEDAM PRAEFATVR

GOTTINGAE

APVD ABRAM VANDENHOECK ACAD. TYPOGR.

Digitized by Google

Digitized by Google

Admonet promiſſorum fides nunc telam pertexere, quam ſuperiori anno eodem orationis filo ſum exorſus. Anſam mihi orta tum in rep. Genuenſi ac deinde pertinaciſſime continuata, neque adhucdum ſedata penitus ſeditio praebuerat ſimili ſcriptione de *Multitudine ſeditioſa iuris belli experte* nonnulla commentandi. Satis, opinor, opella iſta euictum dedi, non iure belli agere ſeditioſos, dum arma capiunt, duces ſibi eligunt, & contra remp. eosue, qui ei praeſunt, quaeuis hoſtilia tentant, ſed, ſicuti ad rebellandum, quam bellandum, ſunt ferociores, ita, quamuis vi & armis, niſi via leniore ad obſequium reduci poſſint, coerceantur vincanturque, victos tamen deinde, vt perfidos, vltioni ſimul & exemplo mactandos ac, tanquam criminis, quod iure imperii vindicandum eſt, reos, legibus conuenienter iudicandos eſſe atque puniendos. Videndum itaque nunc ante omnia erit, ad quale genus delicti illud pertineat, quo rectius deinde de poena eiusdem congrua queat iudicium ferri.

 §. I.

§. I.

Diximus ſeditionem crimen publicum, quo multitudo hominum aduerſus ſuperiores ſubita & violenta commotione inſurgit atque exuendo ipſis debitum obſequium publicam tranquillitatem perturbat. Quam graue & pernicioſum reipublicae habitum hoc ſemper fuerit facinus apud omnes peraeque gentes, non ſolum ex variis S. S. locis (*a*) NICOL. BOERIVS (*b*), PROSPER FARINACIVS (*c*), MARTINVS SCHOOCKIVS (*d*), aliique plures oſtenderunt, ſed etiam aliunde ſatis ſuperque conſtat, & ex ipſo ſocietatis ciuilis omnis fine, nempe ſecuritate publica, facile eſt ad intelligendum. (*e*)

§. II.

a) Vide inter alia I. REG. XVIII. 17. LVCAE XXIII. 2. 5. & 9. ACTOR. XXIV. 5.

b) in Tract. de *ſeditioſis*, qui FRANCISCI MODII *Rerum. crim.* Tomo poſteriori inſertus eſt, §. VII. n. I.

c) *Prax. & theor. crim.* Qu. 113. n. 178.

d) *De Seditionibus & Diſcordiis domeſt.* Lib. II. cap. 12. pag. 561.

e) Frequens & appoſita ſatis inter corpus humanum & ciuile eſt comparatio, quae indiſſolubilem inter imperantes & parentes nexum innuit, atque, vtrumque mancum & mutilum eſſe, oſtendit, ſi iſte ordo turbetur aut peruertatur. Hac ipſa quoque ratione plebem olim Romanam tumultuantem a Menenio Agrippa, viro facundo, in vrbem atque ad obſequium reductam eſſe, legimus apud DIONYS. HALIC. L. II. c. 77. & LIVIVM L. II. c. 32. dum fabulam de inteſtina corporis ſeditione & diſcordia inter ventrem & reliqua membra toti corpori noxia narrauit. Recte hinc CICERO de *Amicitia* c. VII. §. 2. inquit: *Quae domus tam ſtabilis, quae tam firma ciuitas eſt, quae non odiis atque diſſidiis funditus poſſit euerti?* Facit quoque huc locus apud AVRELIVM VICTOREM *de Viris illuſtr. vrbis Romae* c. 2. vbi haec referuntur: *inter patres & populum ſeditione orta, Iulius Proculus, vir nobilis, in concionem proceſſit; & iureiurando firmauit, Romulum a ſe in colle Quirinali viſum auguſtiore forma, cum ad Deos abiret, eundemque praecipere, vt ſeditionibus abſtinerent, virtutem colerent: futurum, vt omnium gentium domini exiſterent.*

Digitized by Google

§. II.

Prouti autem vel aduerſus ſummos imperantes concitatur & in perniciem reip. directo tendit, vel contra ſubordinatos ipſis magiſtratus oritur, atque exitium priuatorum praecipue pro ſcopo habet; prouti porro vel intra ſolam obſequii detrectationem & nudas querelas ac vociferationes ſubſiſtit, vel in pugnas atque caedes erumpit; prouti denique vel ex dolo, vel ex culpa, directe vel indirecte, & per accidens ſolum excitatur; ita diuerſas illam habere gradus, atque hinc non vno ſemper modo aeſtimari poſſe, ſed nunc grauius, nunc leuius peccare ſeditioſos, aliterque duces, principes ac incentores ſeditionis, aliter aſſeclas, fautores & auxiliatores eiusdem delinquere, facile patet. Vnde mox ad crimen laeſae maieſtatis, mox ad vim publicam refertur ſeditio diuerſisque adeo poenis coercetur. Iuuabit itaque paullo diſtinctius procedendo ſpeciem vtramque ſigillatim conſiderare.

§. III.

Quodſi aduerſus ipſum principem, ſummumue magiſtratum ſeditioſe inſurgant & hoſtile quid moliantur ciues, ſiue natura, ſiue iure tales, haud dubie in illud crimen incidunt, quod laeſae maieſtatis, aut laeſae reip. nomine leges indicant. Huius autem atrocitatem nemo facile in dubium vocauerit, dummodo ſecum perpendat, quam ſancte colenda reuerenterque habenda ſit ſumma in qualibet ciuitate poteſtas, quam maieſtatem a magnitudine dignitatis atque auctoritatis vocare ideo moris eſt, quia haec, auctore FESTO, ſolemniori ſignificatione *ſummum amplitudinis faſtigium in rep. denotat & penes eos eſt, qui ſummae rerum praeſunt;* aut *quia in maieſtate reip.* vti AVCTOR ad *Herennium* definit (*ee*), *continetur dignitas & amplitudo ciuitatis.*

ee) L. IV. cap. 25.

tatis. Haud illepide veteres poetae ex honore patre & reverentia matre progenitam eſſe maieſtatem, finxerunt (*f*), quam gentiles adeo Deam coluiſſe, memoriae proditum eſt (*g*); ſicuti CVRTIVS (*h*), qui paſſim de gentibus, reges diuinis honoribus afficientibus, loquitur, Perſas (*hh*) inprimis *non pie ſolum, ſed etiam prudenter reges ſuos inter Deos colere*, ſcribit, addita pulcherrima gnome: *maieſtatem enim imperii ſalutis eſſe tutelam;* & PLINIVS (*i*), dum principem ſibi fingit formatque, aequatam Diis poteſtatem illum decere, perpulchre ait, quo nomine imperatoriam dignitatem inſignitam eſſe, illud IVVENALIS, Domitianum pungentis, (*k*) indicat:

- - - *Nihil eſt, quod credere de ſe*
Non poſſit, cum laudatur Diis aequa poteſtas.

Certe ſacroſanctam eſſe imperantium maieſtatem & proxime ad Deorum immortalium accedere numina, non ſolum Ethnici crediderunt, ſed etiam diuinae maieſtatis ſimulacrum Chriſtianae Religioni addicti, ipſo ſacrarum literarum ductu, hic agnoſcunt (*l*). Vnde haud incongrue *proximum ſacrilegio crimen* adpellatur (*m*), *quod maieſtatis dicitur.* Siue illa penes vni-

f) Vid. OVID. FASTOR. V. 25.

g) Vid. MACROBIVS Saturnal. L. I. c. 12.

h) Lib. VIII. cap. V. §. 11.

hh) vid. BARNAB. BRISSON. *de Regno Perſar.* L. I. p. 8. vbi MENANDER principem vocat εἰκόνα ἔμψυχον Θεοῦ.

i) In *Panegyr.* c. IV. §. 4.

k) Sat. IV. v. 70

l) Conf. FRID. GEISLERI diſſ. de *Titulo Nos Dei gratia* Lipſ. 1677. hab. cap. IV. §. 73. ſeqq. Vtrum vero immediate, an mediate a Deo ſit maieſtas, acerrima quondam fuit inter Chriſtianum THOMASIVM, ICtum, & HECTOREM MASIVM, Theologum Hafnienſem, controverſia, quam, conſentiente CALOVIO, in *Synopſi controuerſ.* Art. XVI. §. 2. placide diiudicat ac componit Ill. LEYSERVS, *Medit. ad Pand.* Sp. DLXVIII. m. 1. ſeq.

m) In l. 1. ff. ad *Legem Iul. maieſtat.*

Digitized by Google

vniuerſum ciuitatis corpus, vel totum populum, ſiue penes partem eiusdem celebriorem, vel optimates, ſiue apud vnum, id eſt, principem, reſideat, perinde eſt, quia par vbique tam in rebuspublicis democraticis & Ariſtocratis, quam in monarchia, ſummae poteſtatis ciuilis ſanctimonia eſſe debet. Neque quidquam refert, conſenſune populi, an iuſto bello & iure victoriae fuerit adquiſita.

§. IV.

Quam varie vero laedi poſſit maieſtas, & quam late adeo pateat dictum inde crimen, tum generatim ſpectatum, tum grauior eiusdem ſpecies, quae peculiari perduellionis vocabulo ſignificari ſolet, poſt tot ſcriptores, qui ad L. Iuliam Maieſtatis commentati ſunt, enarrare ſuperuacaneum foret. Neque totam nunc antiquitatem, aut quarumuis gentium annales excutiemus, ſolliciteue perquiremus, quo ſupplicii genere dignos cenſuerit quilibet populus laeſae maieſtatis reos; certiſſime quippe ſumus perſuaſi, ſummam poteſtatem ſicut vbique locorum incolumem ac inuiolabilem eſſe decet, ita eiusdem violatores nuspiam abiiſſe impunes.

§. V.

Pauca igitur tantum ex Romanorum Germanorumque legibus ac inſtitutis delibaturi, impraeſentiarum ſatis habemus obſeruaſſe, & ipſum bellum, vt CICERO (*n*) teſtatur, priſcis Latinis dictum eſſe duellum, vt pote inter duos exercitcus duces, aut duas partes, de victoria condententes, geri ſolitum, &, teſte CAIO ICto, (*o*) *qui* deinde (*p*) *hoſtes vo-*

n) In *Oratore* cap. XLV.

o) in l. 234. pr. de V. S.

p) Vtrumque tamen & hoſtis, & perduellis nomen iam ſuo tempore de belligerantibus promiſcue vſurpaſſe PLAVTVM, eleganter adnotauit Cel. FVNCCIVS ad LL. XII. Tab. IX. L. VII. p. 404.

vocati ſunt, *perduelles* illis adpellatos fuiſſe, per eam adiectionem indicantibus, *cum quibus bellum eſſet.* Hos enim valde hoſtes eſſe, & pertinaciter, vt ait FESTVS, duellum, ſiue bellum retinere, ex augendi particula *per* collegit vetus Grammaticus, CHARISIVS, ad cuius auctoritatem AEGIDIVS MENAGIVS (*q*) prouocauit. Quare, TIBERIO DECIANO iudice, (*r*) falſi ſunt ineptientes ſubinde iuris gloſſatores, qui adpellationem illam a duello, ſiue monomachia, eam ob cauſam, deriuarunt, quod haec ad crimen probandum concederetur, cum tamen perduellio longe antea cognita fuerit, quam iſte probationis inualuerit modus.

§. VI.

Fuiſſe autem in priſca illa ſimplicitate perduellem, i. e. *bello iuſto perſequendum, qui ciuem quemcunque interfeciſſet*, ex antiqua & ſeuera lege, ſecundum quam Horatium, ſororis ſuae interfectorem, perduellem iudicatum (*s*) eſſe, legimus apud LIVIVM (*t*), arguit elegantiſſimus veteris Latii, non qua vocabula ſolum, ſed qua res ipſas, inſtaurator, celeberr. GESNERVS noſter (*v*), addita hac ratione: *Quae enim maior tutela vitae ſingulorum, quam ſi vno interfecto ciue, tota reſp. bellum ſibi indictum iudicet, & interfectorem pro hoſte tractet?* Quoslibet adeo, hoſtilia molientes, aut horrendum aliquod facinus committentes, perduellium nomine

q) in *Amoenit. iur. ciu.* cap. XXXIX. voce *perduelles.*

r) in Tractat. crim. Lib. VII. cap. 6. n. 2.

t) De iudicio hoc Horatiano docte commentatus eſt ADRIANVS VAN DER HOOF in Diſſ. inaug Lugduni Batau. 1723. hab. *de iis, qui antiquitus apud Romanos de criminibus iudicarunt* cap. II. & III.

s) Lib. I. cap. 26.

v) In *nouo linguae Lat. Theſauro* T. III. voce *perduellio.*

nomine, idque ſimul apud Romanos, vbi iudicia de criminibus publica ſpectabant ad populum, vſu veniſſe, conſtat, vt capite plectendus ciuis Romanus, antequam ſupplicium de eo ſumi poſſet, in comitiis perduellis iudicaretur, i. e. ciuium numero exemtus, & ſaltem fictione iuris, patriae hoſtis declaratus eſſet, vti non ſolum ex CICERONIS *oratione pro C. Rabirio*, perduellionis, ob interfectionem L. Apuleii Saturnini, Tribuni plebis, accuſato, ſed etiam ex recentioribus ſcriptoribus, hanc in rem adductis, ſupra laudatus FVNCCIVS (*w*) erudite obſeruauit. Quae omnia pleniore manu exſecutus eſt eximium artis noſtrae decus, Perill. GEBAVERVS, (*x*) dum non ſolum *horrendi carminis legem*, vti LIVIVS vocat, quae de iudicio perduellionis agit, ex peculiaribus reip. Romanae rationibus doctiſſime explicuit, ſed etiam ſimul diſcrimen inter antiquiſſimum apud Romanos paricidarum, qui parem & aequali in eadem rep. iure gaudentem occiderent, ſcelus & recentius parricidii, quod ad parentum & ſanguinis vinculo coniunctorum occiſores ſpectaret, flagitium acutiſſime oſtendit, quae nomina ſaepius alias ab incautis interpretibus videas confundi.

§. VII.

Quemadmodum autem hoſtis vocabulum olim quemvis peregrinum ſignificauit, (*y*) quem, vtpote ciuitatis Ro-

w) l. c, pag. 405.

x) In elaboratiſſima politiſſimaque diſſ. Lipſiae 1720. habita, in qua *Tullus Hoſtilius obſeruationibus varii generis illuſtratur*, §. XI. ſqq.

y) Clare de eo teſtatur praeter CICERONEM *de off.* L. 1. c. 12. VARRO de *lingua Lat.* L. IV. c. 1. & FESTVS voce *Hoſtis*.

Digitized by Google

Romanae expertem & impari iure viuentem, occidere non adeo graue facinus habebatur; ita ſucceſſu temporis pro inimico homine ſimpliciter vſurpari coeptum eſt, vel quod latrocinari & praedas agere in externos inter licita referretur, quae GVNDLINGII (z) haud improbabilis quidem eſt coniectura, vel potius, quia Romanis cum exteris gentibus ſemper belli gerendi occaſio eſſet, quam rationem doctiſſimus FVNCCIVS (a) reddit, ideo maiore forſan adhuc probabilitate nitentem, quod gentes cultiores, ad quas Romanos pertinuiſſe nemo dubitat, barbarum illum & a Scythis retentum morem circumcirca vagandi & quaelibet aliena inuadendi, quem, obſeruante GROTIO (b), Σκυθισμὸν hinc vocauit EPIPHANIVS, iam dudum dereliquiſſent.

§. VIII.

Tandem vox perduellis, hoſtem generatim denotans, ſpeciatim & κατ᾽ ἐξοχὴν de iis praedicari coepit, qui, dum contra ipſam remp. aliquid machinari eique exitium inferre auderent, hoſtes omnium acerrimi viderentur. Intelligi hinc poteſt, quid ſibi velit TVLLIVS (c), cum ait: *Equidem illud etiam animaduerto, quod, qui proprio nomine perduellis eſſet, is hoſtis vocaretur, lenitate verbi triſtitiam rei mitigante.* Funeſtiſſimum enim eſſe perduellionis crimen, exinde facile adparet, quod maius ſemper periculum ex domeſticis ciuium inſidiis & inteſtinis motibus imminet reip. quam ab externo & peregrino hoſte, qui eam aperto

z) In *ſingularibus ad L. Maieſtatis itemque de ſilentio in hoc crimine* cap. I. §. 4.

a) l. c. p. 404.

b) De I. B. & P. L. II. c. XV. §. V. n. 1.

c) l. c.

Digitized by Google

to Marte adoritur. Atque hoc vltimo ſignificatu & in legibus Rom. accipitur, & hodienum ſolet adhiberi. Diſerte VLPIANVS (*d*) *perduellionis reum* vocat, *qui hoſtili animo aduerſus remp. vel principem animatus eſt.* Eodem redit mens THEOPHILI (*e*), legem Iuliam Maieſtatis in eos competere, aientis, qui κατὰ βασιλέως ἢ πολιτείας, contra Imperatorem vel remp. aliquid moliti ſunt. Significauit autem apud Romanos, probe notantibus ROSINO (*f*) & SIGONIO (*g*), nomen perduellionis & crimen ipſum, & poenam, ei ſtatutam. Si illud, intelligebatur grauiſſimum inter crimina, nempe laeſae maieſtatis; ſin hanc, quae erat acerbiſſima, ſcilicet mortis. De vtroque ergo ſignificatu nobis quum ſit agendum, nunc vnice circa priorem ſubſiſtemus, poſteriorem deinde pluribus explicaturi, vbi varia ſuppliciorum genera erunt enarranda, quibus criminis huius rei affici ſolent.

§. IX.

Ad perduellionem vero, qua crimen denotat, Romanos quoque ſeditiones non minus, quam coniurationes & quasuis factiones reip. perniciofas, retuliſſe, ex variis eorundem legibus luculenter adparet. Non adſcendemus iam ad prima reip. incunabula, circa quae ipſa ſub Regibus etiam ſeditiones factioſorumque globos varios deprehendimus, a BOECLERO (*h*) peculiari diligen-

d) In l. vlt. ff. ad *L. Iul. Maieſt.*
e) §. 3. I. de *Publ. jud.*
f) *Antiquit. Rom.* Lib. IX. cap. 26.
g) De *iudic.* L. III. cap. 3.
h) *Comment. Plinian.* c. X. quod hiſtoriam legis Maieſtatis a condita vrbe vsque ad regifugium continet.

Digitized by Google

gentia recenſitos. Neque animus eſt percenſere omnes illas crebriores turbas, tumultus, ſeditiones & receſſiones, poſt expulſos Reges, propter maxima & continua inter patricios & plebem diſſidia in libera rep. per tribunitiam potiſſimum poteſtatem, cuius ſeditioſitatem nobis FLORVS (*i*) deſcribit, excitatas, prouti fratrum Grachorum inprimis, praecipuorum plebis turbatorum (*k*) aliorumque tribunorum exemplis conſtat. Longum quoque foret criminis laeſae maieſtatis hiſtoriam ex inſecutis temporibus contexere, ſeriemue legum, contra illud ſenſim promulgutarum, exhibere accuratam; quare inſtituti noſtri rationem habentes eas tantummodo ſanctiones breuiter commemorabimus, quae ad compeſcenda praua ſeditioſorum molimina ſpectant.

§. X.

Quod itaque in LL. XII. Tabb. & quidem Tab. IX. lege VII. de perduelli vel hoſte reip. non concitando, ciueque perduellibus non tradendo cautum eſt, haud dubie ad ſeditioſorum quoque motus pertinet, quia hoſtis concitatio variis modis, bellum ſuadendo, prodendo patriam ciuemque ad inſurgendum rebellandumque commouendo fieri poteſt. Propius huc reſpicit lex praecedens VI. eiusdem tabulae, qua coetus nocturni & coitiones clandeſtinae expreſſe prohibentur. Quemadmodum enim nox, vti vinum & amor, nihil moderabile ſuadet, ſed MENANDRI poetae iudicio, ipſa experientia comprobato, ad mala plurima auctrix atque dux eſt, vnde haud abſone VARRO

i) Lib. III. c. 13. ſqq.

k) Hoc nomine illos & Saturninos compellat TACITVS Annal. III. 27.

Digitized by Google

RO (*l*) illam a nocendo ita dictam eſſe putat; ita merito Romani modo memorata prohibitione ſecuritati ac tranquillitati publicae conſulere ſtuduerunt, hancque ipſam ob cauſam, vti ſaepe laudatus FVNCCIVS perpportune monet (*m*), ſolem occaſum ſupremam tempeſtatem, i. e. extremum iudiciorum rerumque agendarum terminum, eſſe voluerunt Pluribus hoc diſcimus ex Porcii Latronis, qui ſimul inſecutae legis Gabiniae, eodem tendentis, meminit (*n*), declamatione (*o*) in Catilinam aeque, ac CICERONIS orationibus inuectiuis in eundem. Exhibet quoque LIVIVS (*p*) conſulis de Bachanalium turpitudine detecta & abroganda grauem orationem, quae itidem coetus nocturnos valde improbat hocque ſimul egregio & ſalutari cuiuis reip. conſilio inculcat, *vbicunque multitudo* ſit, *ibi & legitimum rectorem multitudinis debere eſſe.* Taceo Coeliam, Apuleiam Variam, Corneliam, leges ante Auguſtum de maieſtate, occaſione ſeditionum & coniurationum, ſubinde in rep. Rom. exortarum, illarumque in poſterum euitandarum cauſſa, plurimam partem latas, quas erudita diligentia GVNDLINGIVS perſecutus eſt (*q*), & alii (*r*) quoque attigerunt.

l) l. c. Lib. V. c. 2.

m) ad cit. leg. p. 401. & ad leg. X. Tab. 1. pag. 90. ſeq.

n) Cap. XIX.

o) Quae SALLVSTII ſcriptis adiecta eſt T. II. edit. cel. HAVERCAMPI, pag. 226. ſqq.

p) Lib. XXXIX. cap. 15.

q) l. c. §. VI. ſqq.

r) Vid. NIC. PHILIPPVS VAN der GHIESSEN in diſſ. inaug. Lugduni Batav. 1716. hab. *ad L. Iul. Maieſtat* cap. 2.

Digitized by Google

Sed abrumpendum hic iterum, quod mox recipiam, filum & de Candidato longe digniſſimo dicendum eſt, qui illud tantiſper continuandi nouam mihi dedit occaſionem. Eſt ille

VIR PRAENOBILISSIMVS ET IVRIS PERTISSIMVS,

DOMINVS

SIGISMVNDVS IOHANNES VON DER HVDE,

qui munera, quibus iam fungitur, ciuilia honoribus Academicis ornaturus, nuper Cellis Luneburgicis huc àduentauit deque vita ſua laudatiſſima haec nobis retulit:

Lucem adſpexit anno huius ſaeculi X. Ieſteburgi, in praefectura Harburgenſi, natus parentibus optimis, patre EILARDO VON DER HVDE, qui ibidem officio paſtoris animarum fideliter functus & iam anno MDCCXX. pie defunctus eſt, matre, quam adhuc viuam colit, ANNA ELISABETHA, B. VOLKMANNI, Senioris quondam collegii Canonicorum Ramelslohenſium & Paſtoris meritiſſimi filia. Poſt obitum patris, qui a teneris eum Chriſtianae religionis principiis imbuerat, praematurum curam educationis ſuſcepit B. auunculus, MARTINVS GEORGIVS HVLSEMANNVS, Paſtor primarius & Inſpector ſcholae Michaelitanae Luneburgenſis, quam ipſam ſub eius auſpiciis inde ab anno MDCCXX. vsque ad MDCCXXVIII. indefeſſo diſcendi ardore frequentauit. Eruditus itaque literis artibusque, quibus aetas iuuenilis ad humanitatem informari ſolet, Helmaeſtadium ſe contulit, vbi a B. SCHRAMMIO, tum faſces Academicos gerente, in ciuium literatorum numerum receptus, in Philoſophicis & Mathematicis fideliſſi-

Digitized by Google

liſſimum magiſtrum nactus eſt celeberrimum RIBOVIVM, a quo nunc meritis muneribusque ſuis ipſaque Prorectoris Magnifici dignitate maxime conſpicuo tanto maiore cum voluptate ciuitatem in Academia Georgia Auguſta accepit. Praeterea interfuit quoque ſcholis Metaphyſicis Cel. FROBESII; in iure ciuili vero Ill. LEYSERVM & in criminali B. KRESSIVM audiuit. Anno MDCCXXIX. Halam Saxonum petiit, ibique Perill. BOEHMERVM, Pandectas & ius can. B. Dn. a LVDEWIG, ius publicum, & Ill. FEEISCHERVM, ius feudale tradentem, ſectatus eſt. Exantlatis ſic laboribus Academicis ao. MDCCXXXI. Cellis ſedem fortunarum ſuarum fixurus, ibidem ao. MDCCXXXIII. poſt conſuetum examen matriculae Aduocatorum inſertus hucusque foro dedit operam ſuamque aſſiduitatem ac dexteritatem ſupremo prouocationum Tribunali eum approbauit in modum, vt ſuperiori anno in procuratorum ordinariorum numerum ſolemni more cooptaretur.

Poſthaec ordini noſtro deſiderium ſuum ſummos in vtroque iure honores capeſſendi decenter ſignificauit, cui tanto lubentius annuimus, quanto cumulatius exſpectationi noſtrae non ſolum doctiſſima textuum, ex iure ciu. pariter atque can. ipſi propoſitorum, explicatione, ſed etiam promtiſſimis aptiſſimisque ad quaeſita reſponſionibus ſuis ſatisfecit, & quo dignior adeo laurea doctorali vnanimi conſenſu noſtro fuit iudicatus. Conferam hanc ipſi, praeſcitu & aſſenſu SPLENDIDISSIMI DNI. CANCELLARII, proximo die Mercurii, qui erit huius menſis XXII. poſt habitam lectionem curſoriam in l. 1. ff. de *Iure dotium* & de *Legitima parentum pactis dotalibus excluſa* diſſertationem inaug. quam ſuo Marte elaboratam ſub

Digitized by Google

ſub meo praeſidio eodem die pro cathedra defendet. Vt igitur publica haec eruditionis ſpecimina MAGNIFICVS ACADEMIAE PROREC1OR, ILLVSTRISSIMI COMITES, PROFESSORES OMNIVM ORDINVM CELEBERRIMI, HOSPITES, CIVES, COMMILITIONES GENEROSISSIMI NOBILISSIMEQVE, praeſentia ſua exoptatiſſima condecorare totumque adeo hunc actum tanto ſolemniorem reddere velint, obſeruantiſſime officioſiſſimeque rogo. P. P. Gottingae d. XIX. Maii CIƆIƆCCXXXXVIII.

L.S.

A1114711584

Digitized by Google